



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Carolus Borromæus. 4. Novemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

damnatorum peccatus exedet. Si velis conscientiae stimulis liberari, nihil unquam facias eam reluctante, & tacitis ejus monitis morem semper geras. Nihil iustius est, nihil tutius bonam conscientiam premeat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secunda. Bern.

S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. Novemb.

Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam. Apoc. 2.

ERubescant puto ad Caroli purpuram omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustrissimo parente aliter quam in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infulâ insignis Parochorum vitam ipse inspiceret, ipse morbidas oculos curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hic illi animarum pastores, qui suum nunquam numerant, qui neque noverrunt gregem? Atqui ille, quæ diximus, tunc fecit, cum provinciam dira lues famesque populareretur, quando, ut Christum operiret, parietes Aulæ, se lectulo etiam nudavit. Pe-

stem supplicationibus avertit ad DD. pulvina instituit, in quibus ipse nudus pedes, funeque in collum injecto, crucem prætulit, & in hac clavum ex illis unum, è quo nobilissimum olim Anathema Servator pependit. Portò authoritati Ecclesiæ vitam posthabuit; Et suam purpuram suo iterum sanguine pinxisset, nisi globus Divum jussus ferire à tergo ad pedes delapsus esset. Puer, cùm alii ludos, ipse Virginis templa obibat. Præter horas canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, & dici à domesticis voluit. Sub Mariæ nomine collegium adolescentulis nobilibus exstruxit. Mariæ statuam ante omnium templorum portas posuit. Hujus icone armari omnes milites suos voluit, forti utique clypeo. Mitto cætera, hoc addo: alios purpura, Carolus purpuram ornavit. *Ex vita.*

M E D I T A T I O.

De vita S. Caroli.

1. **T**anta erat charitas S. Caroli, ut rebus spirituales hominum suæ Diœceseos, & temporales indefesso labore, & profusis divitiis consuleret. Instituit xenodochia, Collegia, Seminaria; quin etiam ipsemet pauperes fidei rudimentis imbuere, pauperumque confessiones excipere solitus erat. Næ tu angustioris es animi, qui tui duntaxat corporis curam habes

habes. Quid tam parcus es in pauperes? *Divitia pauperem faciunt, si diliguntur; divitem & beatum, si pro Christo contemnuntur.* Guerr.

2. Orandi tam studiosus erat, ut orationem ad octonas horas quandoque produceret. Orabat aliquando, cum quidam in eum catapultam explosit; intermisit quidem orationem, sed duntaxat ut prohiberet, ne sui scelestum hominem insequerentur. Quam absimilis est nostra precandi ratio? res nihili à Domino nos avocat an eodem animo hosti tuo pepercisses?

3. Quantum amabat alios, tantum se oderat: jejunia, verbera, peregrinationes, quas pedes faciebat, cilicium, quod etiamnum moriens gestabat, liquidò probant, eum odisse animam suam, in hoc mundo. Quomodo agis cum corpore tuo? hic Princeps naturæ delicatioris, mole negotiorum oppressus, habebat vires, & tempus ad mortificationem, tu verò non habebis?

S. MALACHIAS.

5. Novemb.

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

Christus Matth. cap. 5.

A Des turba literaria, & si placet, euntem ad ludum puerulum Malachiam comitare. Vides ex via subsistentem, & passis brachiis